

## 1521 Wintersemester. 225. Decan Iohannes Matz von Thorn.

C 117.  
N 39.

Decanatus magistri Ioannis Matz Thoruniensis, collegiati collegii domine Virginis de natione Polonorum. Anno<sup>1)</sup> salutiferi partus supra millesimum quingentesimum vigesimo primo Sabatho ante festum Galli<sup>2)</sup> Ioannes Matz Thoruniensis, artium liberalium magister, collegii beate Virginis collega ac ecclesie sancti Iacobi Thorunic<sup>3)</sup> curatus, de natione Polonorum unanimi et legitimo magistrorum electorum consensu in decanum facultatis artium est electus, sub cuius magistratu subscripti fuerunt officiales electi:

Clavigeri mgr. { Gregorius Breitkoph ex Konitz  
Leonardus Schacht Zwickavius.

Oct. 15.

Executores et visitatores { Virgilius Wallendorffer Saltzburgius Bavarus  
Sebastianus Sybarth Muchelius Misnensis  
Magnus Hundt Parthenopeus Saxo  
Ioannes Matz Thoruniensis decanus Polonus.

\* Anno, quo supra, ipsa die Hedwigis, que fuit decimaquinta Octobris, convocatis magistris tali tenore: „Reverende domine magister, sitis hodie in principio hore duodecime in vaporario maiori domus facultatis artium ad eligendum officiales et ad consultandum super propositione domini magistri Martini Titz Iaurensis et de inmutacione particule cuiusdam statuti, item ad eligendum conventorem collegii facultatis artium et ad tractandum alia facultatis artium commodum respicientia sub pena carentie actu regentie et non contradicendi — Detur omnibus dominis magistris de consilio facultatis artium tantum“:

De propositione magistri Martini Iawer. Quandoquidem idem mgr. Martinus Iawer conventure offitio ad septennium prefuit, iam vero pinguiori afflante fortuna illud cum gratiarum actione resignando, petiit, ut, cum pretiosam crexerit structuram in habitacione conventoris pro honore facultatis et conventoris commodo ac necessitate, librorum scilicet reconditorium, quod fere novem constat flor., ianuam ex cubili conventoris in habitacionem famuli ad divertendum conventori propter impetum scolasticorum, si quis fieret, necessariam, item ianuam ante fornacem ferream et in habitacione amplum cantarorum et suppellectilium repositorium, ita quod iam dicta structura supra quindecim flor. taxata per dominum magistrum fuit, — turpe itaque fore iudicavit facultas, si iam nominata structura ab habitacione amoveretur et molestum successores solutione aut pensione gravari, et intollerabile nec sine gravamine ea in habitacione relinquere [cum] posse —, ob id supplicabat consilio facultatis, ut aliquid relevaminis sentire ex facultate possit et habitorum laborum ac effectualis semper census cum privato etiam damno solutionis memor esse dignetur.

C 117.

Conclusum, quod nullus incolarum sine scitu domini decani et conventoris aliquid struat aut etiam conventor sine scitu et consensu domini decani et seniorum sub pena carentie peccunie exposite et expensarum.

<sup>1)</sup> Große Initiale A in verschieden abgetöntem, dunkelblauem Blattwerk auf goldenem, mit gelbem Netzwerk überdecktem und mit buntfarbigen Streifen eingefasstem Grunde. <sup>2)</sup> que fuit duodecima Octobris. <sup>3)</sup> Handschrift: possset.